Radgoski Joan. Bapt. Quaestio de commodato.

~~2665 Sravn.~~

QVÆSTIO

ad

c. vnicum Ext. de Commodato

A M. IO: BAPT: RADGOSKI, DE Radgoſcz, Philoſophiæ Doct: & Iuriſpru: Candidato, in Coll. DD. Iuriſc. die x. Iulii, hora x. publicè ad diſputandum

Propoſita:

Præſidente Reuerendo & Conſultiſsimo Domino

SEBESTIANO KRVPKA, I. V. D. ET PROFES: *Præpoſito Vielicien: &c.*

CRACOVIÆ,

In Officina Baſilii Skalski, Anno Domini, M. DC. IX.

C

IN STEMMA.



SVLOVIÆ *stirpis quid monstrat* STEMMA *vetustum,*
Quid notat antiquæ gentis equestre decus?
Felix auspicium patriæ, ac Helicona colenti
Tutelæ fidum munus vbiq; bonis.

Perillustri & Reuerendissimo Domino,

DOMINO STANISLAO SVŁOWSKI, ABBATI Tinecen:

D. & Patrono obseruandissimo,

Salutem & Felicitarem.

FACTVRVS IN NOBILISSIMO IVRIS *prudentiæ studio primum periculum Perillustris & Reuerendissime Domine: cùm meam curam extenderem, sub cuius patrocino & auctoritate arduum hoc decertandi genus sustinerem felicius: ad te ire & sub tuo amplissimo nomine, primam in opere legitimo velitationis aleam subire multa suaserunt & persuaserunt. Nam præter generis, & familiæ splendorem, Sacerdotij dignitatem, pietatis, prudentiæ, cæterarumq; virtutum, quibus animi ad optima & maxima excitantur, iucundissimum concentum, literarum quoq; alumnos habes, quos auctoritate tueris, liberalitate foues, raro exemplo. Non ignoras quippe, quàm præclarè hi, & singulis & vniuersis prosint, licèt à foro & publico recedant. Neq; enim is solus, vt ait Prudentissimus Seneca, Reipub: prodest, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloq; censet; sed & qui iuuentutem exhortatur, qui virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriamq; cursu ruentes prensat ac retrahit, & si nihil aliud certè moratur, in priuato publicum negotium agit. Et cùm cæteræ bonæ artes & disciplinæ vtiles sint, tum Iurisprudentia quanta quanta est, tota ad humanam societatem tuendam & conseruandam, tota ad bonum publicum promouendum comparata est: adeò vt Sacratissimus Imperator Iustinianus affirmet, nihil studiosius vtiliusq; in o-*

 mnibus

mnibus rebus inueniri legum auctoritate, quæ & diuinas & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit. Ex huius nobilissimæ facultatis Myrrothecijs particulam ad te fero Perillustris & Reuerendissime Domine, vt sit perpetuæ in te meæ obseruantiæ testimonium. Exiguum hoc & tenue munus vultu & animo benigno suscipe, vt tuo aspirante fauore ex vestibulo sacræ scientiæ, intra penetralia ingressus formam legum pulcherrimam non conniuentibus oculis possim aspicere. Vale diu felix literarum & literatorum patrone. Cracouiæ: è Contubernio Iuristarum IV. Nonas Iulij. Anno Domini. M. DC. IX.

Perillustris & Reuerend.
Celsitud. vestræ,

deditißimus

M. Io. Bap. Radgoski,
Philos. Doct. I. V. C.

QVÆSTIO

Ad

c. vn. Extra De Commodato.

V. Commodatarius re commodata deteriore facta, vel amiſsa, ad id quod intereſt, tam de dolo & culpa, quàm de caſibus fortuitis Commodatori teneatur necne?

Conclusio I.

Res in vſum Commodatarii conceſsa, & eius culpa deterior facta, reddita non videtur, niſi quod intereſt præſtetur.

C O R O L L A R I A.

I. Commodatarius non ſolùm ſaluam rem & integram, ſed etiam eius acceſſoria Commodatori pręſtare tenetur.

II. Alio loco & tempore Commoditum, quàm conuentum eſt reſtituens, ad id quod intereſt obligatur.

III. Commodatarius qui vtitur commodato ad aliud, quàm ſibi commodatum fuerat, vel certi ac præſcripti vſus limites exceſſerit, furti tenetur.

IIII. Æſtimatio Commodati, quoties dolo aut lata culpa deperit, facienda erit, non ex veritate tantùm; ſed etiam

ex affectione, secundùm quod actor in litem iurauerit.

Conclusio II.

Commodatarius dantis gratia Commodatum accipiens, de dolo & lata culpa, in eius amissione, vel deterioratione respondebit.

COROLLARIA.

I. Commodatarius in Commodato exactissimam diligentiam adhibere debet.

II. Impensæ factę in valetitudinem serui Commodati, vel ob aliam rationem, aut iure pensationis seruantur, aut contrario iudicio repetuntur.

III. Seruus vel equus, si à latronibus, vel in bello in aliam causam Commodati occisi sunt, actio Commodati datur.

IIII. Si filiofamilias seruoúe Commodatum sit, duntaxat de peculio agendum erit.

Conclusio III.

In Commodato, quod in vtriusque vtilitatem fit, casus fortuiti ei, qui Commodatum accepit, si aliqua culpa interuenit, imputantur.

COROLLARIA.

I. Si facto incendio, ruina, naufragio, aut quo alio simili casu, res Commodata amissa sit, tenebitur eo nomine is cui Commodata est, quoties cùm forte posset rem Commodatam saluam facere, suam prætulit.

II. Si res æstimata Commodatò accepta sit, omne periculum præstandum ab eo, qui æstimationem se præstaturum recepit.

III. Quotiescunque Commodatarius est in mora, periculum casus fortuiti ad eum pertinet.

IIII. Commodatarius si ex pacto generali casus fortuitos in se recepit, Commodatori quanti interest, condemnari debet.

Hæc Quæstio cum suis Conclusionibus & Corollariis, disputabitur in Lectorio DD. Iurisconsl. Academiæ Cracouien. die x. Iulij, hora x.